Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



NOS

acceptio apud deum. Quicumq; enim sine lege peccauerunt sine lege pibunt. Et quicumq; in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum. Sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes que legem non habent naturaliter ea que legis sunt faciunt. Eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Et inter se mutuo cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die qua iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per ihesum xpm. Si autem tu iudeus cognominaris et requiescis in lege et gloriaris in deo. Et nosti voluntatem eius et probas utiora instructus per legem confidis te ipsum ducem esse cecorum. Lumen eorum qui in tenebris sunt. Eruditorem insipientium magistrum infantium habentem formam scientie et veritatis in lege. Quid ergo alium doces te ipsum non doces. Quod predicas non furandum furaris. Dicis non mechandum mecharis. Quod abhominaris ydola sacrilegium facis. Quod in lege gloriaris per prevaricationem legis deum inhonoras. Nomen enim dei per vos blasphematur inter gentes sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest si legem observes. Si autem prevaricator es legis circumcisio tua prepucium factum est. Si igitur prepucium iustificationes legis custodiat. Nonne prepucium illius in circumcisionem reputabitur. Et iudicabit quod ex natura est prepucium legis consummans te qui per literam et circumcisionem prevaricator legis es. Non enim qui in manifesto iudeus est. Neque que in manifesto in carne est circumcisio. Sed in abscondito iudeus est. Et circumcisio cordis in spiritu non littera. Cuius laus non ex hominibus sed ex deo est.

III

Quid ampli est iudeo aut que utilitas circumcisionis. Multum quidem per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt. Numquid incredulitas illorum fidem dei evacuabit. Absit. Est autem deus verax. Omnis homo mendax sicut scriptum est. Ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat. Quid dicemus. Numquid iniquus est deus qui infert iram. Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus huic mundum. Si enim veritas dei in meo mendacio habundauit in gloriam ipsius. Quid adhuc et ego tamquam peccator iudicor. Et non sicut blasphemamur. Et sicut aiunt nos quidam dicere faciamus mala ut veniant bona quorum damnatio iusta est. Quid ergo precellimus eos. Nequaquam. Causati enim sumus iudeos et gros-

270